



*C. de adpellat.* Sed cum illa lex, vti verba eius perspicue docent, ad causas tantum ciuiles pertineat; nescio sane, quomodo eam Idsinga ad causas capitales trahere potuerit. Neque illud ferendum est, quod ad iuuandam suam sententiam a *titt. D. et C. de sentent. pass. et restit.* nonnihil auxilii petit: quorum singulas leges totidem esse dicit exempla restitutionum, damnatis a iudicibus clementia principum indultarum, quae indulgeri non potuissent, nisi per tempus aliquod exsecutio sententiae fuisset dilata. Nam omnes leges, quae titulis illis continentur, de deportatis, et relegatis, aut ad metalla damnatis, qui sententiam passi restitui possunt, loquuntur. In his vero omnibus licet ab Idsingae opinione recedere, communique interpretum sententiae, quae legibus et certae iuris rationi conuenit, inhaerere cogamur; in eo tamen viro doctissimo libenter adsentimur, alteram illam Cuiacii rationem, ideo supplicia non esse differenda, ne spatium sit damnato petendae a principe veniae, e *L. 18. C. de poen.* arcessitam, non esse admittendam. Nam hoc tantum in iis obtinet, quos, vt ait Vlpianus *d. L. 6. §. 9. D. de iniust. rupt. irr. fact. test. praeueniendi periculi causa*, nulla mora interposita, damnatos puniri reipublicae interest. Atque ad id genus hominum *d. L. 18.* esse restringendam, Idsinga recte contendit. Profligatis igitur, nisi fallimur, omnibus argumentis, quibus Idsinga ad stabiliendam suam opinionem vsus est, illud fixum nobis immotumque sedet, nullum neque ante Gratianum, neque postea spatium vitae

vitae